

stum, et omnia quæ ab eo dependent Festa et Officia mobilia quolibet anno aliam occupent diem; cum insuper, ob mutationem annuam Litteræ Dominicalis, omnes Dominicæ et Feriæ aliam quolibet anno occupent in mense diem (cfr. Q. 96, 3^o); — cum aliunde omnia fere Sanctorum Festa fixam habeant in determinata mensis die sedem, ut videre est in Calendario; exinde necessario accidit, ut sæpius Festa et Officia mobilia, et Dominicæ in eam incidant diem, quam Festum immobile jam occupat, sicque duo in una die in conspectum veniant Officia. Illa autem **incidentia duorum in una eademque die Festorum aut Officiorum vocatur Occurrentia**. — Etsi duo hæc Officia sermone latino forsitan emendatius dicerentur *concurrere*, tamen in Liturgia dicitur quod ambo *occurrunt*, et vox *concurrentia* de alio Officiorum conflictu intelligitur, ut in Capite sequenti dicitur.

Exempla: dies 28 mensis Maji assignata est Festo S. Augustini, Episcopi Cantuariensis; at fieri potest, ut hac eadem die 28 Maji celebrandum veniat uno anno Festum mobile SS. Corporis Christi (1891), alio anno incidat dies infra Octavam Pentecostes (1890), alio anno dies Octava Ascensionis Domini (1903); — dies 30 mensis Novembris est propria Festi S. Andreæ, Apostoli; fieri potest, si Littera Dominicalis est E, ut eadem die adveniat Dominica I Adventus (1902); — in his casibus dicuntur occurrere Festum S. Augustini et Festum SS. Corporis Christi; Festum S. Augustini et dies infra Octavam Pentecostes; Festum S. Augustini et dies Octava Ascensionis Domini; Festum S. Andreæ et Dominica I Adventus.

Q. 156. *Quotuplex distinguitur Occurrentia? Explica.*

R. Duplex distinguitur Occurrentia: **accidentalis** nempe, et **perpetua**.

Occurrentia accidentalis datur, quando Officium mobile incidit in ea die in qua Officium fixum suam sedem habet, vel in qua aliud Officium mobile similiter incidit; — et quoniam Officium mobile, si præsentis anno in tali die incidit, sequenti anno in alia die incidet, non semper igitur, neque perpetuo occurret cum eodem Officio fixo, sed tantum accidentaliter, quia scilicet sequenti anno Festum Paschatis alia die mensis, imo alio quandoque mense celebrandum erit; quia item sequenti anno Littera Dominicalis diversa erit; ideo Occurren-

tia duorum hujusmodi in una eademque die Officiorum dicitur **accidentalis**.

Hæc est Occurrentia quæ in præcedenti responso exponitur, et per exempla proposita manifesta est. Attamen, licet data ibi Occurrentiæ definitio apta sit, ratio tamen Occurrentiæ non ex toto sufficienter exposita fuit, ut ex sequentibus patebit.

Occurrentia perpetua datur, quando Officium fixum incidit in ea die in qua et aliud Officium fixum suam sedem habet; — quoniam ambo fixa sunt, ideo quotannis eadem determinata die mensis, seu perpetuo hæc occurrunt.

Exempla: Dies Octava Festi Nativitatis S. Joannis Baptistæ (quod celebratur 24 Junii), ritus Duplicis, necessario incidit in die 1 Julii; Festum S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, in Archidiecepsi Mechliniensi celebratur ritu Duplici 1 classis eadem die 1 Julii: occurrunt perpetuo hæc dies Octava et hoc Festum. — Festum duplex S. Martini, Episcopi et Confessoris, celebratur 11 Novembris; eadem die incidit Festum simplex S. Mennæ, Martyris: hæc duo Festa, duplex unum, simplex alterum, perpetuo occurrunt. — Ubi idem S. Martinus est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, ejus Festum est duplex 1 classis cum Octava; Octava dies incidit in die 18 Novembris; eadem die 18 Novembris indicatur in Calendario universæ Ecclesiæ Festum duplex majus Anniversarii Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli: in his locis, in his Ecclesiis occurrunt dies Octava S. Martini et Festum Dedicationis, et quotannis seu perpetuo occurrunt.

ARTICULUS II

De effectibus Occurrentiæ

Q. 157. *Qui sunt effectus Occurrentiæ?*

R. Ex Occurrentia id efficitur ut, cum in una die non nisi de uno fieri possit integrum Officium, alterum aliquo pacto hac eadem die cedere debeat; quod diversis fit modis, etenim: aut de altero fiet tantum Commemoratio loco Officii integri; aut ipsum alterum Officium omittetur penitus; aut integrum in aliam diem accidentaliter transferetur; aut integrum in aliam diem perpetuo mutabitur vel assignabitur.

Proinde sequentia inquirenda sunt in omni conflictu plurium Officiorum:

1° Quodnam Officium ex occurrentibus potiora jura habeat ut aliis præferatur, sive de quonam Officium fieri debebit.

2° Quandonam alterum occurrens Officium vel sola Commemoratione erit peragendum, vel aliquando penitus omittetur.

3° Quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia accidentalis est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta Officii translatione.

4° Quandonam alterum occurrens Officium, si Occurrentia perpetua est, gaudebit privilegio ut integrum alia die dicatur, facta vel Festi mutatione, vel Officii assignatione.

Hæc quatuor explicabuntur in sequentibus paragraphis.

§ I. Quodnam Officium alteri est præferendum

Q. 158. *Quot et quæ dantur rationes ob quas unum Officium alteri in Occurrentia prævaleat?*

R. Tres dari possunt rationes, scilicet: 1° Officii dignitas; 2° Officii necessitas; 3° Officii dignitas simul et necessitas.

1° Dignitas quidem, quæ mensuratur ab excellentia seu præstantia personarum quæ coluntur, et a classe vel qualitate quam obtinet earum Festum vel Officium; unde, exempli gratia, Festa Nativitatis Domini, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., omnibus aliis Festis et Officiis quæ possunt occurrere, dignitate antecedunt.

2° Necessitas vero, quando recolenda sunt suo proprio tempore, sua propria die, quædam mysteria, aut ea quæ ad hæc mysteria referuntur, quæ, etiamsi eorum Officia ritu, classe aut dignitate minora sint, tamen præ magnitudine sui objecti et omitti non possunt, et dignioribus Officiis longe præstant; hac necessitate prævalent, exempli gratia, omnibus Festis quibuscumque Officia, inter alia, Dominicæ I Adventus et I Quadragesimæ, etiamsi istæ Dominicæ ritus semiduplicis tantum sint; Feriæ IV Cinerum, et Feriarum majoris Hebdomadæ, licet istæ Feriæ ritus sint tantum simplicis.

3° Dignitas denique simul et necessitas, quando duæ supradictæ rationes simul adsunt, quemadmodum habetur, exempli gratia, in Dominicis Paschatis et Pentecostes, quæ solemnissima sunt Festa et dignissima, simulque mysteria necessario suis propriis diebus recolenda: item in eorumdem Festorum Octavis, etiamsi infra has Octavas quædam dies habeant Officia ritus tantum semiduplicis; quodcumque enim Festum ipsis cedit.

Q. 159. *Describe seriem Officiorum in qua eo ordine referuntur, ut, quando eadem die simul duo vel plura Officia occurrunt, Officium superius positum præferatur iis quæ inferiorem locum occupant.*

R. Quando eadem die occurrunt duo vel plura Officia in diversis numeris seriei seu ordinis sequentis relata, præfertur Officium relatum ad numerum superiorem, cedunt vero Officia in numeris inferioribus designata. — Series seu tabella Officiorum proponitur hic sufficiens pro præsentis studio materiæ; quædam particularia, omissa ne memoria gravetur, postea suis locis indicabuntur. — Ordo sequens est:

1° Dominicæ primæ classis; — Feriæ privilegiatæ; — Vigiliæ Nativitatis Domini, et Pentecostes; — dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes; — dies Octavæ Nativitatis Domini, et Epiphaniæ. (Hæc Officia sub unico numero referuntur, quia non possunt simul occurrere.)

2° Festa duplicia primæ classis.

3° Dominicæ secundæ classis; — dies infra Octavam Epiphaniæ; — dies Octava SS. Corporis Christi.

4° Festa duplicia secundæ classis.

5° Dies Octavæ Octavarum communium.

6° Festa duplicia majora.

7° Festa duplicia minora.

8° Dominicæ communes: — dies infra Octavam SS. Corporis Christi; — Vigilia Epiphaniæ.

9° Festa semiduplicia.

10° Dies infra Octavas communes.

11° FERIA VI post Octavam Ascensionis.

12° Feriæ majores totius temporis Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive.

13° Feriæ majores quæ non indicantur in numero præcedenti, et in quibus licet ad libitum recitare, vel Officium feriale, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883. (Cfr. Q. 151.)

14° Vigiliæ minores, in quibus item licet ad libitum recitare, vel Officium Vigiliæ, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

15° Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento in Feriis quintis, et Officium votivum de Immaculata Conceptione B. Mariæ V. in Sabbatis, modo liberæ hæc dies sint, juxta concessionem particularem nostræ Diocesis ante factas et relatas in Q. 150.

16° Festa simplicia quæ occurrunt Feriis II, III, IV, et VI, et in quibus licet ad libitum recitare, vel Officium Festi, vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

Ultimo tandem loco sequitur Officium Feriæ minoris II, III, IV, et VI, sed proprie non dicitur occurrere; in ea licebit ad libitum recitare, vel Officium Feriæ vel Officium votivum ex concessis per Indultum 5 Julii 1883.

Facilis est usus hujus tabellæ. Resumentes enim exempla supra ad Quæstiones 155 et 156 data, statim videbimus: a) Festum S. Augustini Cantuariensis, 28 Maji, duplex minus, notari 7° loco; Festum eadem die occurrens SS. Corporis Christi, 2° loco; aut diem infra Octavam Pentecostes, 1° loco; aut diem Octavam Festi Ascensionis Domini, 5° loco: de his igitur et non de S. Augustino, fiet 28 Maji Officium; — b) Festum S. Andreae, Apostoli, 30 Novembris, duplex 2 classis, adscribi 4° loco; Dominicam I Adventus, 1 classis 1° loco: Dominicæ ergo, et non S. Andreae Officium fiet 30 Novembris; — c) Octavam diem Octavæ communis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 1 Julii, recenseri 5° loco; Festum S. Rumoldi, duplex 1 classis, 2° loco: quare S. Rumoldi, et non diei Octavæ, dicetur 1 Julii Officium; — d) Festum S. Martini, Episcopi et Confessoris, 11 Novembris, duplex, tenere 7^{um} locum; Festum S. Mennæ, simplex, 16^{um} locum: S. Martini itaque, et non S. Mennæ, fiet Officium; — e) Octavam die Octavæ communis S. Martini, Patroni alicujus loci, 18 Novembris, adscribi 5° loco; Festum Anniversarii Dedicationis Basilicarum SS. Petri et Pauli, duplex majus, 6° loco: ex quo patet Officium hac die fieri de die Octava S. Martini, non de Anniversario Dedicationis. — Hæc exempla sufficient ad indicandum ordinis descripti usum.

Q. 160. *Occurrunt subinde eadem die duo Festa ejusdem ritus et classis; vel duæ Octavæ simul celebrandæ; quodnam*

tunc Officium potiora jura habebit ut alteri præferatur?

R. Suprapositus ordo Officiorum statim indicat Officium præferendum, casu quo Officia concurrentia ejusmodi sunt quæ diversis ordinis numeris referuntur. Sed aliquando accidit id quod in Quæstione ponitur: occurrunt nempe duo Officia, vel Festa quæ eodem numero in ordine assignantur; vel speciatim: occurrunt eadem die duo Festa quorum utrumque est duplex 1 classis, aut duplex 2 classis, aut duplex majus, aut duplex minus, aut semiduplex.

Exempla: 1° Festum S. Georgii, Martyris, celebratur 23 Aprilis; in iis locis ubi est Patronus, in iis Ecclesiis quarum est Titulus, Festum est duplex 1 classis; occurrere potest hac die 23 Aprilis Festum in nostra Diocesi duplex 1 classis Patrocinii S. Joseph, celebrandum Dominica III post Pascha. — 2° Festum S. Martini, Episcopi et Confessoris, celebratur 11 Novembris, ritui duplici 1 classis, si est alicujus loci Patronus aut alicujus Ecclesiæ Titulus; occurrere potest hac die 11 Novembris Anniversarium Dedicationis omnium Diocesis nostræ Ecclesiarum, item duplex 1 classis (cfr. Q. 105, Nota II). — 3° Festum Visitationis B. Mariæ Virginis, duplex 2 classis, celebratur 2 Julii; occurrere potest hac die 2 Julii Festum Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri, item duplex 2 classis, celebrandum Dominica I Julii. — 4° Die 2 Martii celebratur in nostra Diocesi Festum duplex majus B. Caroli Boni, comitis Flandriæ, et Martyris: occurrere potest hac die Officium Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C., item duplex majus, celebrandum in nostra Diocesi FERIA VI post Feriam IV Cinerum. — 5° Festum Conversionis S. Pauli Apostoli, duplex majus, celebratur 25 Januarii; occurrere potest hac die Officium Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti, celebrandum in nostra Diocesi FERIA III post Dominicam in Septuagesima. — 6° Diebus 3^a, 4^a Julii assignatur Officium de die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli; occurrit iisdem diebus in nostra Diocesi Officium diei infra Octavam S. Rumoldi. — Sufficiant hæc exempla.

Pro hujusmodi concurrentia duorum in eadem die Festorum, quorum utrumque jam est ritus duplicis et ejusdem classis, aut utrumque ritus semiduplicis, regulam sequentem dat Rubrica (Tit. X, n. 6): « Si omnia fuerint duplicia; vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, videlicet, de Festo potioris ritus præ alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario præ secundario, aut, iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personæ, aut, in paritate dignitatis

de fixo præ mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio præ minus proprio. » — Refertur hic etiam posset Decretum generale S. Rituum Congregationis, 21 Novembris 1893 (n. 3811), super duobus Festis vel Officiis eadem die occurrentibus; sed quia hoc Decretum speciatim fuit datum pro casibus novorum Festorum quæ Sancta Sedes non raro statuit celebranda, de eo longius dicitur infra (QQ. 173-179), ubi agitur de mutatione vel assignatione Festorum.

Itaque in his casibus servantur regulæ sequentes:

1° Semper et in omni casu Occurrentiæ alicujus Festi duplicis 1 classis cum uno ex Festis duplicibus 1 classis quæ in Ecclesia universali majori cum religione et solemnitate celebrantur, hoc potiora jura habebit ut præferatur. Festa illa digniora jam recensita fuerunt Q. 105, in Nota I, attamen juvat illa iterum enumerare. Sunt: Nativitas D. N. J. C., Epiphania, Pascha Domini cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus, Ascensio, Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, Festum SS. Corporis Christi, Assumptio B. M. V., Immaculata Conceptio B. M. V., Annuntiatio, Nativitas S. Joannis Baptistæ, Festum S. Joseph, Sponsi B. M. V., Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Festum Omnium Sanctorum. — His solemnioribus Festis cedunt igitur, ex. gr., Festa localia Patroni loci, Dedicationis Ecclesiæ, et Tituli Ecclesiæ.

Exempla in annuo Directorio seu Calendario nostræ Diocesis pro applicatione hujus primæ regulæ reperiri non possent: casus omnes pro nobis obvii resolvi possunt ex sequentibus regulis qualitatis et dignitatis. Exemplum tamen foret, si Dedicationi alicujus Ecclesiæ jam fieret, ex. gr., in Festo Ascensionis Domini, aut Feria II aut III post Pascha vel Pentecosten: ritus, classis, qualitas, dignitas personæ, in utroque Festo eadem sunt; non poterit tamen neque Officium dici, neque Missa celebrari de Dedicatione, quia supradicta Festa de majoribus et dignioribus sunt, quæ in omni casu prævalent. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, editio anni 1902, Sectio II, Caput I, Articulus II, § 3, VIII, Q. 298.)

2° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, attendenda est primo qualitas Festorum: inquiritur quodnam scilicet ex eis sit primum,

quodnam secundarium (Cfr. QQ. 104, III, et 108); et præferatur primum secundario.

Prædictam solutionem diu desideratam dedit S. Rituum Congregatio per Decretum generale quoad præminentiam inter Festa primaria et secundaria, 27 Junii 1893 (n. 3808); quam Congregationis sententiam Summus Pontifex Leo XIII ratam habuit et confirmavit 2 Julii 1893. (Cfr. Decretum in Directorio anni 1894, inter Documenta, n° 2.)

Proinde ad exempla proposita dabitur sequens solutio: ad primum, Festum S. Gregorii, Patroni, est primum; Festum Patrocinii S. Joseph est secundarium: ergo præferatur Festum S. Georgii, et celebrabitur 23 Aprilis; — ad tertium, Festum Visitationis B. Mariæ V. est primum; Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. est secundarium: ergo præferatur Festum Visitationis B. Mariæ V., et celebratur 2 Julii; — ad quartum, Festum B. Caroli Boni est primum; Officium Sacræ Spineæ Coronæ D. N. J. C. est secundarium; ergo præferatur Festum B. Caroli Boni, et celebratur 2 Martii.

3° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, scilicet, utrumque est primum, vel utrumque est secundarium: attendenda tunc est dignitas personæ cujus Festum occurrit (cfr. Q. 104, IV); et præferatur Festum personæ dignioris.

Unde datur sequens solutio ad exempla posita: ad secundum, Festum Dedicationis Ecclesiarum est Festum Domini; ergo præferatur Festo S. Martini, et celebrabitur 11 Novembris; — ad quintum, Officium Orationis D. N. in Monte Oliveti, ratione dignitatis personæ Christi Domini, præferatur Festo Conversionis S. Pauli Apostoli.

NOTA. Solutio proposita pro exemplo secundo, nempe præferentia Anniversarii Dedicationis Ecclesiæ super Festo S. Martini, intelligenda est pro Ecclesiis consecratis. Nam animadvertendum hic est, quod pro Ecclesiis nondum consecratis sed tantum solemniter benedictis, Festum Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum in cumulo per totam Diocesim celebratum (cfr. Q. 105, Nota II) est qualitate secundarium (cfr. Q. 108, Nota); unde in hujusmodi Ecclesiis nondum consecratis præsens solutio non valet, et alia omnino servanda est; etenim, quia Festum S. Martini est primum, Anniversarium Dedicationis vero hic est secundarium, servata regula præcedenti, præferatur Festum S. Martini Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum. — Postquam vero Ecclesia S. Martini fuerit consecrata, Anniver-

sarium Dedicacionis Ecclesiarum pro ipsa erit etiam Festum primarium, et servanda erit solutio supra proposita, nempe cedet Festum S. Martini Festo Domini Dedicacionis.

4° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, et insuper adest paritas dignitatis: tunc præfertur Festum diei mensis affixum, seu fixum præ Festo mobili. (Cfr. Q. 112.)

Pro vera intelligentia hujus Rubricæ circa prælationem fixi præ mobili Festo animadvertendum est quod ipsa non est applicanda iis Festis lato sensu mobilibus, quæ Dominicis affixa fuerunt ideo præcise ut cum feriatione valeant celebrari; qualia sunt Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. Festum Patrocinii S. Joseph; Festum S. Joachim, Patris B. Mariæ V.; etc.; et ideo perperam ageret qui, ex. gr., ubi Festum S. Rochi, Confessoris, fixum in die 16 Augusti, celebratur ritu duplici 2 classis, quando dies 16 Augusti est dies Dominica, hoc Festum, quia fixum, præferret Festo S. Joachim, Patris B. Mariæ V., eodem ritu celebrando in Dominica infra Octavam Assumptionis, quia est mobile; etenim tamquam recolendum cum feriatione, Festum S. Joachim, etiamsi sit par in ritu et aliis, sed mobile, gaudet aliqua prælatione super Festo fixo S. Rochi, quia feriatum non est. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 24.)

Sed Rubrica de iis tantum Festis intelligenda est, quæ ad cleri levamen fuerunt Dominicis affixa ut possint subrogari Officiis Dominicalibus, qualia sunt, ex. gr., Festa Puritatis et Maternitatis B. Mariæ V.

Dicere liceat desiderari hujus Rubricæ reformatæ authenticam declarationem ab ipsa S. Rituum Congregatione datam; nam non ita clara est ejus applicatio in diversis casibus, et pro diversis Festis lato sensu mobilibus.

Exemplum hujusmodi occurrentiæ in nostro Calendario Mechliniensi reperire non est; etenim omnes qui se offerre possunt casus solvi jam valent regulis supra datis, ratione qualitatis Festi et ratione dignitatis personæ. Optime applicaretur præsens regula in casibus sequentibus: si, ex. gr., Festa duplicia majora Maternitatis et Puritatis B. Mariæ V., quæ celebrantur

in Dominicis secunda et tertia Octobris, alicubi occurrerent cum alio Festo secundario ejusdem B. Mariæ V., ritus duplicis majoris, et diei mensis affixo: præferendum tunc foret Festum fixum; — item, si Festum SS. Reliquiarum quæ in Ecclesiis nostræ Diocesis asservantur, celebratum ritu duplici majori in Dominica ultima Octobris, et quod primarium est, alicubi occurreret cum Festo duplici majori primario alicujus Sancti diei mensis affixo: cæteris paribus tunc fiat de Festo fixo Sancti præ Festo mobili SS. Reliquiarum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 1.)

5° Quando eadem die occurrunt duo Festa ejusdem ritus et classis, et utrumque Festum est ejusdem qualitatis, et insuper adest paritas dignitatis, et utrumque est fixum aut utrumque mobile, verbo cæteris paribus, fiat de magis proprio præ minus proprio. — Quid intelligatur per Festum proprium, expositum fuit supra Q. 113.

Hæc regula rarissime practica erit pro occurrentia accidentali, sed suam applicationem habere poterit et non raro habet in occurrentiis perpetuis, necnon in casu quo Sancta Sedes novum Festum statuit celebrandum; de quibus dicetur postea, QQ. 173-179.

Exempla: Festum S. Amandi, Episcopi et Confessoris, et Festum S. Dorotheæ, Virginis et Martyris, occurrunt eadem die 6 Februarii. Supponitur quod S. Amandus sit alicujus Diocesis Patronus, et quod S. Dorothea sit Patrona particularis loci ejusdem Diocesis; omnia jam paria sunt: utrumque Festum est ritus duplicis 1 classis, utrumque est primarium; personarum dignitas est æqualis; utrumque est fixum. Ast pro loco cujus S. Dorothea est Patrona, hujus Festum censetur et est magis proprium, quam Festum S. Amandi, qui est Patronus quidem sed Diocesis, proprius qua talis etiam in loco patronatus S. Dorotheæ, sed minus proprius quam S. Dorothea: ergo præfertur in casu Festum S. Dorotheæ, in loco cujus est Patrona, Festo S. Amandi, Patroni Diocesis.

Exempla plura dantur in nostro Calendario Mechliniensi, in quibus Festa propria Diocesis præferuntur tamquam magis propria Festis Ecclesiæ universalis eadem die occurrentibus, quæ ipsis cedere debuerunt et acceperunt aliam diem assignatam. Ita die 17 Martii fit de Festo magis proprio S. Gertrudis, Virginis Nivigellensis, præ minus proprio S. Patritii, Episcopi et Confessoris, hac eadem die adscripto in Calendario Ecclesiæ universalis, et ad aliam diem assignato; ita etiam die 15 Maji fit de Festo magis proprio S. Dymphnæ, Virginis et Martyris, præ minus proprio S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, hac eadem die ab anno 1903 adscripto in Calendario Ecclesiæ

universalis, et ad aliam diem assignato pro Diœcesi Mechliniensi.

6° Quando dies infra Octavam occurrit cum die infra aliam Octavam, præfertur Officium illius Octavæ cuius præfertur Festum; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Igitur, pro exemplo sexto supra in initio responsi allato, Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli cum præferendum sit Festo S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, utpote personarum digniorum, etiam dictis diebus præferentia dabitur Officio diei infra Octavam SS. Apostolorum, et non Officio diei infra Octavam S. Rumoldi.

Alia exempla subjungere placet sequentia :

S. Rituum Congregatio declaravit Octavam Omnium Sanctorum esse præferendam, tamquam digniorem, Octavæ Dedicacionis Ecclesiæ. (Decret. 5 Martii 1695, n. 1922, antiq. 3354, ad 1.) Festum Omnium Sanctorum enim unum ex illis est quæ supra sub 1° recensentur, et Festo locali Dedicacionis Ecclesiæ præferuntur.

Ad dubium : « Ubi Festum SS. Cordis Jesu, vel Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis est Titulus Ecclesiæ, utriusque Festi Octava, tum quoad Officium, tum quoad Commemorationem postponendane est Octavis Festorum Nativitatis S. Joannis Baptistæ et SS. Apostolorum Petri et Pauli? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative; juxta Decretum *Urbis*, diei 22 Maji 1896, in responsione ad tertium. » (Decret. 27 Junii 1896, n. 3919, ad 9.)

NOTA. Exceptiones ad præfatas regulas, sed raræ reperiuntur in ipso Breviario Romano; ipsæ reguntur particularibus Rubricis; sequentem sufficiat hic notare pro exemplo. Festum duplex majus S. Nominis B. Mariæ V. celebrari debet Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. Mariæ V., et occurrere potest in ipsam diem Octavam Nativitatis. Juxta tabellam præferentiæ propositam ad Q. 159, videretur præferenda dies Octava Nativitatis, quæ ibi notatur 5° loco, Festo duplici majori S. Nominis, quod notatur 6° loco; attamen Rubrica specialis Festi S. Nominis præscribit quod, si Festum S. Nominis incidat in diem Octavam Nativitatis, Officium fit de eo; præfertur ergo Officium Festi duplicis majoris in casu Officio diei Octavæ.

§ 2. De Commemorationibus in Occurrentia Officiorum

In præcedenti paragrapho inquisitum fuit, quodnam Officium, ex diversis in una die occurrentibus, potiora habeat jura ut aliis præferatur et integrum dicatur, sive de quonam fieri debeat Officium integrum.

Nunc vero investigandum est, quid, statuto jam prævalentis Officio integro, de alio impedito vel de aliis impeditis sit faciendum.

Triplex sese offert solutio; etenim : 1° quædam sunt Officia quæ, vel ex natura sua, vel quia ita lege statutum fuit, diem propriam conservant; et cum, prævalente alio Officio, Officium integrum non habere possint, relicto Officio integro, partem tantum Officii retinent, adjungendam Officio integro prævalenti; verbo, Commemoratione peraguntur; — 2° quædam sunt Officia quæ minoris quasi momenti sunt, respectu Officii integri prævalentis, quam ut eorum Commemoratio huic addi valeat; et penitus omittuntur; — 3° quædam sunt Officia quæ jus habent ut integra dicantur; cumque ex Occurrentia cum alio Officio quod prævalet, integra in die Occurrentiæ non possint dici, ad aliam sequentem diem liberam in qua integra dici valeant reponuntur.

In præsentis paragrapho exponitur, quandonam alterum occurrens Officium, vel sola Commemoratione erit peragendum, vel aliquando penitus omittetur. Agitur itaque de secundo effectu Occurrentiæ significato in Articulo II, Quæstione 157, seu de prima et secunda solutione supra proposita. Tertia solutio vero exponitur in sequentibus paragraphis tertio et quarto.

Q. 161. *Quid est Commemoratio, prout est effectus Occurrentiæ?*

R. Commemoratio, prout est effectus Occurrentiæ, est pars quædam exigua Officii, in ipsius integri locum substituta, et Officii integri quasi vicem supplens.

Non agitur hic de Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum, quæ dicuntur in quibusdam Officiis et quibusdam anni temporibus, quorumque